Stanislaus

Nycz Joan: Hodoeporicon Crestus Stanisl. de Kurozwęki Męcinski e mortalibus etc.

HODOEPORICON

Nobili & Generoso Adolescenti

CRESLAO STANISLAO

DE KVROZWĘKI

M Ę C I N S K I,

Dialectices in Alma Academia Cracou:

S T V D I O S O

E mortalibus ad immortales Beatorum Spiritum sedes Pridie Iduum Februarij concedenti fabricatum.

Amicis interea pro Christiano Romanæ Ecclesiæ more caducas tumulantibus exuuias oblatum.

A

JOANNE NYCZ, in alma Vniuersitate Crac: Art: et Phil: Baccalaureo.

ANNO M. DC. XLI.

CRACOVIÆ, *In Officina Valeriani Piątkowski.*

GENTILITIA ROSA
Florebit ſicut Lilium in Ciuitate Domini.



Vernarum, ROSA flos Ethesiarum,
Æternũ, ROSA vere purpurato
Par Roſis, niueiſq́ lilietũ.
Sic eſt: Elyſio fluens ab agro
Sanctæ Nobile ſchema Caſtitatis
Te CRESLÆ amiciuit inſtar ergo
ROSÆ & lilioli inſtar, æuiternũ
STANISLÆ vigebis in Roſetũ.

NICOLAVS CANTIVS
DE ZMIGROD STADNICKI
Stud: Poeſ.

Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace *Sap: 3.*

PAnde sacras Cœli splēdens Hierarchia sedes,
Et Paradysiacas clauiger alte plagas.
Pande sinus, Diuûmq́; lares, fumentq́; litato
Ante Panomphœos, atria, thure, choros.
En noua Diuinis altaribus hostia cedit,
Hostia Diuinos non leuis ante focos.
Pande aras, fert frugiferis, pia dona racemis,
Non est Lethiferam victima passa luem.
Cunctaris? si forte Genus, Nomenq́; requiris,
Testatur niueæ, nobile schema, ROSÆ:
Testantur TOPORI, maternæ stirpis auita
Pignora; PLAZIADVM stemmata clara Patrū.
Cætera testantur Patriæ, lateralia Gentis
Symbola: MVCRONES, LILIA, & HARPAGINES.
Siq́; cerebrigenam, quâ condicione Mineruā,
Et teneros sensus excoluisset, aues.
Iagelloneis primam informare iuuentam
Relligiosa Parens, miserat vtq́; scholis?

Hìc, OSÇDOVIO, ſtimulos addente Magiſtro,
Noctes in vigiles verterat, ille dies,
Hìc Iuuenem veri Paſtor venerandus Ouilis,
Inter ſelectas connumerauit oues.
Ritè pias verſare preces, ſperare ſalutem
Iuſſit, & Empyreas pace fauente domos.
Perpetis vt gnatum ſe Numinis vltro probaret,
Fortis in amplexa perſtitit vſq; fide.
Donec ad Elyſios præciſo ſtamine campos
Currere, ſors celeri iuſſerat æqua gradu.
Inflexitq; ſimul pronum ſatis ante Clientem,
Aliger ore pios de ſupera arce ſonos.
Hìccine priuatus menſes agitabis inanes
STANISLAE? Tuos cur remoraris auos?
Non ſinet æthereus Pater, his caneſcere terris
Te, pridem Patriæ debite Ephebe Tuæ.
Illum ardor rutili candens inceſſit Olympi,
Hinc Pietas ſtimulos admouet, inde Fides.
Hinc dolet abſentis moriens in propria Fratris
Fata vices, illinc totus Amore flagrat.

Iam

Iam pallet, vis semianimes iam deserit artus,
Hæc hilari tandem prouidus ore refert.
Care vale Frater, iam quod mihi destinat æther,
Quod cœli subeo sponte vel vltro meâ.
Mille Tibi, CASIMIRE vale, Tibi mille salutem
Sensibus opto: DEO viue, Tuisq; ROSIS.
Viue memor lethi, memor aio viue salutis
Æternæ, Fidei sis memor oro sacræ.
In mea propensus, fuerat qui vota, precabor,
Dignetur precibus fautoris esse Tuis.
Tu modò ne cesses altis suspiria cœlis
Fundere, Te in vita tutior ecquis erit?
Hæc ait: Harpocrates signat simul organa vo-
Ad superosq; animus transijt, vnde fuit. (cis,
O superi, seruate Pios, erit omnibus vna
Mens Animus cunctis vnus, & vna Fides.
Optima CRESLAVS Fidei sortitus auitæ
Munera, cœlestes quæ emereuntur opes.
Ecce Fides verum sacrata Tonantis Alumnum,
In manibusq; probāt signa, Corona, Cruces.

 Id ni-

Id niueus probat ore Pudor, probat omnis ephe
Virtutum legio, corpore culta pio. (bi
Quę cupit insigni proles occumbere letho,
Occidat hoc, nunquam nobiliore potest!
O qui sic hominum, vix natus, mortuus ac est,
Longior huic visa est, quam data vita fuit!
Per scelus abrepti, nam quas, ex arbore pomi
Prima Parens Natis perdidit Eua domos:
Cœlestes, propter quas, linquere debuit hortos,
Subq; Charoneas ire coacta scrobes.
Has, tu pro meritis scandis virtutibus, ædes,
STANISLAE, sacri palma serena tholi.
Vixisti paruo, probus atq; modestus in æuo,
O dabitur vitâ nunc meliore frui.
Sæpe triumphales iactabat Roma secures,
Romulidas celebrans, Scipiadasq;graues.
Sæpe suum diues iactabat Persia Xerxem,
Quod Græcos; Pœnos fudit at illa feros.
Sed minus est Græcos, minus est quoq; vincere
Est mage Naturę vincere castra suę. (Pœnos
Nam

Nam non qui Græcos, aut Pœnos uicit inertes,
Ast ea, si vicit, quæ cupit Hector erit.
Qui poterit comiti vigil inuigilare furori,
Si nequeat mentis Rex vigil esse suæ?
Non externarum custos modò sedule rerum,
Non & Fortunæ STANESILAE Tuæ.
Non doctrinarum præses studiose Tuarum,
Quæ fuit, ast animi maxima cura Tui.
Namq; Tuâ seruatus Honos pietate, Tuoq;
Optima radices fixit in ore Fides.
Influit ingenuo Patientia laurus Honori,
Excubat in teneris Gratia rara genis.
Non indignanti lanienam corpore mortis
Intempestiuæ, STANESILAE subis.
Tres & si nostro confectæ ætatis in æuo
Enumeras, actas fidus Olympiadas.
Ampliet ætatem mors, est sat uiuere, uitâ
Post mortem cui fas nobiliore frui.
Quam quia præscisti moriturus; voceq; summo
Legasti Fratrem, iam pereunte, Patri.

Et fa-

Es factus Vates, Aganippes flumine maior,
Tingit Te, ambrosio rore, cicada fluens.
In Te dum figit cœlestia, Virgo Dauidis
Lumina, Te æthereis comparat alma sophis,
Expertem noxæ celsus præsagit Olympus,
Inq; Tuam superos, prouidus accit opem.
Namq; palimpsesto Tua fers inserta fideli
Gesta, uerecundos & sine labe sinus.
Splendida sidereæ decurres marmora sedis,
Atq; Tuum cingent aurea serta caput.
Hic meriti scopus est, hæc gratia digna laboris,
Rarus at est tales qui mereatur opes.
Belligeri iactant alij sua schemata Martis
Anguicomæ reliqui spicula cruda DEÆ.
Gaudes WOYCECHI referens insignia Diui,
Symbolicæ referens lactea signa ROSÆ.
Hæc terrena piâ sub imagine corpora formãt,
Et candore suo pectora casta notant (drant,
Et quamuis rari, quibus hæc data symbola qua-
Conueniunt animo STANESILAE Tuo.

Tu

Tu moreris: gradientis ad immortale Tribunal
Non moritur florens mentis in ore Rosa.
Sarmatici ſolers Archigrammateus orbis
Kvrozwęcensi floruit vtq; nuru?
Floruit Andrea, Vislcensis ſella, Mecinski,
Et benè Męcinias eſt venerata Rosas.
Oſunt, & fuerant cæleſtibus apta viretis
De Kvrozwęko caſta Roſeta ſolo!
O pronepos Creslae, Tuus Te, cœlite ſãguis
Poſcit voce, cito curre ſub Aſtra pede.
Wladislawensis, Creslavs Hierarcha, tiaræ
Moribus, Eloquio, Relligione grauis.
Rite ſacraturus virgâ Cyllenide ſummo
Vota, Nepos pro Te Stanesilae Deo.
Huc ades Empyrei, cui cordi eſt gloria regni,
Meciniæ vigeant iuſtâ vbi ſorte Rosæ:
Creslavs Stanslavs, ait, Hortus quod ſit amœn?
Flore nouo ſplendens, atq; decore nouo.
Quàm graciles regnant in odoro flore Camænæ
Quantum puniceo uiuit in ore decus.

B Quan-

Quanta verecūdo ridet Constantia uultu, (put.
Quam placidum Grauitas portat ad Astra ca
Cum ferit & recreat, rapit ad se sidera, celsos
Ac implet niuei floris odore polos.
Securam Creslae viam cape prosper; Olymp'
Pansus in aduentum stat uigilatq́; Tuum.
Hostiles nullo grassantur agemate turmæ,
Nec latet in mitem prædo vel hamus ouem.
Semper tuta quies, tutissima cœlitis oræ
Limina, Tartareis deuia quippe Deis.
Corporis ac es enim compage solutus amarâ,
Ad sūmumq́; dabas vltima vota Patrem.
Audijt illa Deus, promissaq́; regna spopondit,
Impleuitq́; Tuos spe meliore sinus.
Læta colorati panxerunt compita cœli,
Factaq; per superos semita pansa thronos.
Cœlica solennes duxerunt agmina plausus,
Cunctaq́; dulcisono plena fuere choro.
Linquere mortales iusserunt Astra corymbos,
Scrutariq́; suos Pace fauente tholos.

Cur.

Cur Genitrix pauido turbaris funera uultu,
Occurens Nato flens lacrymansq; Tuo.
Ne trepida mortem Nati fidissima Mater,
Quem niueo decorat iugis odore ROSA.
Fœlicē, decorat siquā, ROSA Splēdida stirpem,
Ignorat sæuam, nam ROSA pulcra necem.
Floruit hâc Diuus, GNESNENSIS Præsul ouilis,
ALBERTVS, vestrâ quæ viget vsq; domo.
Illa Tuæ soboli fecundam Flora salutem
Parturijt, castos condiditaq, thoros.
Candidus in cœlo WOYCECHVS fulgurat, eius
Namq; solet simili schema nitere vice.
O cui Patritijs Phœbus decertat in armis,
Fictaq; versicolor spicula cera gerit.
Casta verecundo magis albent Symbola flore,
Ista suâ maius sub niue lumen habent.
Hûc inquit, placidū subeant pia symbola Regnum,
Nec trepidēt facili subdere colla viæ.
Et magis ac vidit simili fulgere Roseto
CRESLAVM: Astrigeros luce ferire polos.

MECINII Cœlis inquit regnare sapores;
Hoc pia sunt semper tuta Roseta loco.
Seu CZESTOCHOVIUM supplex venerraris Asylum,
O Genitrix, Natos conciliando Tuos,
Seu CALVI sacras MONTIS tristaris ad aras,
Quo te sæpe iubet mens pia flere loco:
Inspice sidereos quod Natus præpete cursu
Scandat agros, Patrios despiciatq; focos.
Cerne, peregrinus quod Olympica munera prẽ
Sertaq; Symbolico flore pudica gerat. (dat,
Sertaq; Symbolico gerat aio pudica colore,
Namq; Pudicitiæ symbolon ista suæ.
Nam Deus ornaret sacras cũ stemmate Natas,
Stemma Pudicitiæ suasit habere Rosam.
Hanc omnis comitatur Honos, venerantur a-
Cum violis, libanis lilia parta solo. (mœno
Non generant tales Pæstana ligustra colores,
Nec simili vernat Cypria flore Paphos.
Sola sed à Diuo soboles Tua Præsule, tantum
WOYCECHO, retinet Chloridos usq; decus.

Ille

Ille etenim ſummus Præſul regione Bohemâ,
Hanc ſecum niueam protulit vltro ROSAM.
Quā poſt Brunoricæ ſuper æquora Balthica ter-
Purpureo pinxit ſanguine Martyr ouās. (ræ,
Compoſitas Mater ſupplex ad ſidera palmas
Effer, & Empyreo vota repende Patri.
Si fors infelix uiſus tibi Natus: ô felix,
Cælica cum iuueni gaudia fronte refert.
Nec premet aduerſis hūc ſors maleſana procellis
Promiſit certam cui ſacer Agnus opem.
Toxica nil metuit ſceleratæ ſpicula Lernæ,
Hæreſis atq; feræ prælia nulla pauet.
Ipſa licet ſtygios in uulnera ſæua moloſſos,
Alcidenq; nouum in prælia cruda uocet.
Eſt quamuis Patrijs longè via diſſita terris,
Difficili haud longum calle retardat iter.
Debita promeritus monſtrat veſtigia trames,
Non errant teneri non titubantq; pedes.
Exemplo Diui ſed Præſulis æthera ſcandit,
Geſtat odoratum Symbolon aq; ſinu.

Non exerrabit ſuperas CRESLAVS ad arces,
Monſtrat iter niueo præuia flore Fides.
Mentis Honos & ſacra Fides leuat alite fauſto,
Ac iubet in ſuperis figere caſtra plagis.
Cœleſtem Fidei Conſtantia iungit Amorem,
Quæ iubet optatæ carpere ſortis iter.
Ingredere in Patriam fœlix CRESLAE beatam,
Et venerare ſacros poplite vtroq; focos.
Nec maiora roges, nec nobiliora, locuples,
Pegmata, quam Patriæ, quæ tulit ipſe Deus.

Gratiſsimæ conuerſationis monumentum.

O ego, Apollineo ſi ſcirem ludere plectro,
Occinerem Laudes STANESILAE Tuas.
O ego, Phidiacâ fierem ſi Zeuxis in arte,
Arte meâ facerem marmora muta loqui.
O ego, cum nec ſim Zeuxis, nec Apollo diſertus,
Ad Tua iam uiuum funera, marmor ero.

MICHAEL DE BRZEZNO
BRZEZINSKI
Stud: Al: Acad, Crac.

Epicedium vexillo defixum

D. V. T,
A. V. M.
B. I. C.

HONOR ÆVITERNVS.

DIC AGE: QVID PRENDAS Viuaci Lumine Sensus?
Qui TOPORI, HARPAGINES, LILIA, MVCRO, ROSÆ?
Quod Genus Est? CRESLAVS STANISLAVS, MECINI-
De KÝROZWĘKI Clara Propago ROSÆ. (ANÆ
Quo è PATRE? MATTHIA: MATRE? è CATHARI TOPO-
PLAZINIANORVM; digna vtriusq; thoro. (RORVM
Quo CLARET? IAGELLONEIS Artibus. INFANS?
An VIR? Agens annum post tria lustra nouum.
Quo MIRABVNDVS? Diui pietate IOANNIS
CANTII: ad hunc multas fuderat vltro preces.
Quos lateri Comites adiunxit? cernis eundem
Cum Diua, Diuum, VIRGINE MATRE, VIRVM.
Fœlix qui, INDIGETES traxisti in fœdera DIVOS,
Credo quod hâc, tutâ mente, QVIESCIS humo.

A Fratre Germano ALBERTO CASIMIRO DE KVROZWĘKI MĘCINSKI Stud; Dialec.

His Teſtibus



Ecce probum comitant Academica ſigna puellum,
Signa in perpetuas foedere iuncta Cruces.
Foelix qui ſumas tales ad ſidera Teſtes,
Sola datur Crucibus nam ſuper Aſtra fides.

NICOLAVS DE TECZIN OSOLINSKI CA-
PITANEI D: ZYDACZEV: Stud: Al: Acad Crac.